



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm,
Consiliariorvm Iudicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm
Magistratvum Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum
omnium**

Tympe, Matthäus

Coloniae Agrippinae, 1617

66 Recreationes duntaxat honestas subditis permittere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52641)

est. Cùm *Dauid Rex* ob suum peccatum conspiceret subditos diuinitus esse percussos, conuersus ad Dominum exclamauit, dicens: (2. Reg. 24.) *Ego sum, qui peccaui: isti, qui oues sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, &c.* salutem subditorum sua ipsius salute habens charitorem.

SIGNVM LXVI.

RECREATIONES DVNTAXAT

honestas subditis permittere.

Recreationes, & exercitationes corporis sunt permittendæ, 1. quia nulla res potest continuum laborem ferre.

Quod caret alterna requie, durabile non est.

Ouid. epist. 4. 2. ijs augetur robur corporis, membra dilatantur, 3. valetudo conseruatur, dum humores crassi consumuntur, corporis membra indurantur, natiuus calor augetur; vt contra quiete & otio destruitur. Hinc Cicero Tironi suo prescribit *περίπατον σύμμετρον*, moderatam inambulationem, in Epist. 16. Fam. 4. alacritas in laboribus excitatur; fastidium, quod ex nimia laborum continuatione oriri solet, leuatur, 5. recreatio est medicina tristitiæ, & melancholiæ, Musæus: Dulcius est nihil cantu (Musica) mortalibus ægris, (fortunæ telis confossis.) Musica festi corporis membra reficit, spiritus attonitos vires reddit, vires sepultas excitat, ipsum animam deiectum mirificè erigit, & confirmat. 6. *lyra* & nerui ex remissione conseruantur, ex assidua intensione franguntur: & nouales, licet

Kkk 3

alter-

alternis interquiescant annis, eam tamen cessationem ubertate compensant: perpetuis laboribus vires corporis, meditationibus vires mentis franguntur, & exhauriuntur, si honesto otio non recreentur. *Maior post otia virtus.* Cetero καλοσομυχία, ventriculi imbecillitate laborans, corporis exercitationibus habitum bonum sibi comparauit. (Plut.) vt & Seneca de se scribit, quod catarrhis & distillationibus, à quibus affligebatur, solitus fuerit deambulatione succurrere. *Epist. 79. Germani veteres filios suos non poculis indulgere, sed operam dare exercitationibus voluerunt, quod viri aliquando facti, optimi milites essent.* (Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 25.)

SIGNVM LXVII.

REFORMATIONEM ECCLESIAE
procurare, seu potius promouere.

Iustinianus Imp. ad felicem successum belli Gothici viam sibi aperire putauit, si, vt Ecclesiastici Canones obseruarentur, inuigilaret. Hinc Nouella 6. ait: Maxima in hominibus sunt dona Dei superna collata clementia, Sacerdotium, & Imperium: & illud quidem Diuinum ministrans; hoc autem humanis praesidens, ac diligentiam exhibens: ex vno eodemque principio vtraque procedentia humanam exornant vitam. Ideoque nihil sic erit studiosum Imperatoribus, sicut Sacerdotum honestas: cum vtiq; & pro illis ipsi semper Deo supplicent. Nam si hoc quidem inculpabile sit vndique, & apud Deum fiducia plenius Imperium autem rectè & competenter exornet